



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Non acceptandi Prælaturas, vel Sacerdotium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

dubitatur enim, an id habuerit essentiam voti, quæ est; esse de re bona.

15. Dico tertio, neque esse validum votum in tertio casu idque satis probabiliter; esto aliqui probabiliter etiam asserant, esse validum.

Ratio nostræ pro babililitatis est eadem, quam modo attulimus; Si enim omnibus diligenter expensis (ut certè à te semper supponimus; hic, & in præcedentibus esse expendenda) manet dubium, an notus fueris ad votandum ex hoc bono, vel illo fine non bono, semper remanet dubitatio de constitutivo essentiali ipsius voti; ergo votum erit dubium, ergo non obligans, cum prævaleat certa libertas.

Dices, in hoc tertio casu sumus certi de voto, sed incerti, qualisnam finis fuerit adhibitus: ergo prævaleat votum. Ita sentire videtur Sanchez *loc. cit. cap. 7. n. 26*. Respondeo. Nego nos certos esse de voto, quavis per verba illa exterius fuerit explicatum: cum enim dubitemus, an ejusmodi promissio habeat bonitatem finis, de voti essentia, atque de ejus certitudine dubitamus; prævaleat ergo certa nostra libertas: nam verba illa solum materialiter se habent.

Replicas: Nemo præsumitur commisisse delictum, ergo, quando est dubium, an voveris v. g. Peregrinationem Lauretanam ex fine visendi amicam, vel visendi Sanctissimam Virginem; præsumeris vovisse ex posteriore hoc fine; nam secus, peccasses, dum vovisses illam peregrinationem instituire, ut turpem amorem foveres. Ita quis poterit ex illis Sanch. verbis, ibi (ut minus delictum præsumatur) argumntari.

Respondeo, nos loqui, quando, omni præsumptione conficta, & omnibus expensis circumstantiis, adhuc remanet res dubia. Cum enim dico, in foro conscientie votum esse æstimandum, si validum, quia non adest certè essentia voti. Esto igitur in foro exteriori non me urgere possis ad votum propter dictam, vel quascunque alias præsumptiones, at in interiori, cum verè nesciam qualiter finis, unde & nesciam, an commiserim delictum, necne, sum in eodem foro dubius de essentia voti: ergo illud exequendi nequaquam reus.

§. III. Materia Voti impeditiva majoris boni esse non debet.

1. **H**ujus generis tunc esse materiam Voti, cum impedit majus bonum, quod vovens actu habet, dixi per occasionem *supra*, §. 1. n. 6. Si quis ergo, dum est Religiosus strictæ regulæ, voveret Regulam laxiorem, certè nulliter voveret; quia Deo id quod meliorem bonitatem impedit, gratum esse non potest. Id quod satis fit in memoriam revocasse.

§. IV. Expenduntur quadam particularia Vota.

1. **P**otè, quia non raro negotium facessit dijudicare, an majus bonum emissum Votum impediatur, vel alia quadam peculiaria; ideo nonnulla vota, quæ in controversiam vocari solent, hic examini subjiciam, & manifestè decessam.

Votum non vovendi.

2. **V**otum non vovendi absolute nullum est: Ita Azor *p. 1. l. 11. c. 14. §. 6*. quia opponitur votorum emissioni, quæ Deo grata est. At votum non vovendi indiscretè, temerariè, sine consilio Confessarii, validum est; quia vovere cum tali cautela, honestate, & virtute prudentiæ sapit.

Non ludendi, & similia.

3. **V**ota non ludendi modestè, seu per Eutrapeliam non recreandi, cibis delicatis non utendi, valent communiter, procedunt enim ex amore mortificationis, & penitentiae, quæ melior est, quàm illa, quamvis honesta, recreatio. Ita Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 2. de Voto, c. 8. n. 8. & c. 40. dñb. §. n. 43*.

Dico (communiter) nam si ea recreatio, ludus, cibus, in

speciali casu essent animæ tuæ utiliora, Vota de abstinentia illis non valerent, quia tunc bonum Deo gratius impeditur: Ita Suar. *ibid. n. 9*.

Pari modo non valerent, si emitterentur ab uxore, v. g. ob mortificationem, quam profiteri velit ob mortem viri: licet enim illa abstinentia, vel indifferens est, vel potius vana, nec Deo grata, votum non ludendi, de fiat jactura rei familiaris, valet ex Sanchez *lib. 4. in decal. 7. n. 29. & merito*, quia actus virtutis est, nolle prodigere.

Contrahendi Matrimonium.

4. **V**otum absolutum contrahendi Matrimonium non valet, quia impedit celibatum, bonum, nimirum melius. Ita Suar. *l. c. c. 9. n. 2. Laym. lib. 4. tr. 4. c. 2. n. 12. Sanch. lib. 1. de matr. d. 1. c. 1. & in Dec. c. 8. n. 51. & 52. alique*. Votum contrahendi cum hac puella paupere, cum hac meretrice, &c. nec item valet, ex Suar. *d. c. 9. n. 8*. quia puellam esse pauperem non vincit majus bonum celibatus. Excipe, nisi forte matrimonium esset tibi necessarium ad vitandos tuos lapsus, vel esset necessarium ad prolem pro bono publico suscipiendam, vel ad ducendam puellam, quam data fide violasti? in his enim casibus urget præceptum quod servare melius est, quàm servare celibatum, quod est de consilio. Idem est, (ait Bonacina) si sub conditione sic voveris. Si quasi ducam, ducam meretricem, vel pauperem; Ratio est, quia quandoquidem celibatum non servas, melius est, majorisque charitatis opus illis per tuum matrimonium, auxilium impendere.

Non accipiendi Prælaturas, vel Sacerdotium.

5. **V**otum non accipiendi Prælaturas, sæcularesve dignitates, validum est, si recta fiat intentione. Ita D. Thom. *2. 2. q. 185. art. 1. & 2. alique*; licet enim primo aspectu videatur impedire majus bonum, nempe Episcopatum, v. g. quia est status perfectior eo, quem habet actu vovens; tamen propter humilitatem, mortificationem, & pericula debiti munus non exequendi, melior est ejus privatio. Hinc infert Suar. *l. c. 1. n. 10. fin.* Votum non suscipiendi ordines verum esse, quia ordinum susceptio non affert illud periculum; at votum non suscipiendi beneficium, aut quodcumque regimine animarum, ratum esse, quia in hoc voto dictum periculum adest. Sed certè puto etiam Votum non suscipiendi ordines validum fore, si finis sit humilitas, & reverentia, qualem respexit S. Franciscus, dum ad Sacerdotii gradum noluit ascendere. Qua ratione Superior possit nihilominus præcipere prædictis ejusmodi munera, vido *supra*, cap. 7. §. 3. n. 13.

Intervendi in perpetuum.

6. **V**otum interveniendi hospitali in perpetuum, quamvis te impediatur ab ingressu in Religionem, quod est melius bonum, validum est; quia *supra*, §. 1. *vers. ad primum*; vidimus non debere considerari in hac materia quodcumque majus bonum; sed illud, quod vovens habet actu, dum voveret: at certè melius est intervenire hospitali, quàm non intervenire, seu domi suæ cum libertate otia permanere.

Præstandi hoc, & non aliud.

7. **V**otum præstandi hoc determinatum opus, non verò aliud, valeat, necne? Si quis, v. g. Deo promittat hanc, & non aliam Religionem ingressurus, hanc aut eorum decem elemosynam distributurum, & non aliam, Coronam Virginis non nisi flexis genibus recitaturum, validè promittit? Sanchez *lib. 4. in dec. cap. 8. num. 47*. asserit, validè promittere; quia licet hæc vota sint conditionalia, excludantque alia bona: quia tamen indirectè excludunt, sunt certè directè de bono honesto. Adde melius esse, hæc bona ex obligatione facere, quàm liberum esse in aliis, quæ fortè non fient, Castro *Pal. 1. 3. tr. 15. d. 1*.